UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Nestoris Nouariensis vocabula suis locis: & s[e]c[un]d[u]m Alphabeti ordinem collocata ...

**Nestor, Dionysius**

**[Straßburg], 1507**

**VD16 VD16 ZV 4606**

C ante A

urn:nbn:de:hbz:466:1-98842

Visual Library

ducit ſi ſyllabã.Oui.heroidũ.Si te vidiſſet cul/
tu buſiris in iſto.Apud tamẽ Statiũ:media ſyl
la.corripit.li.thebai.xiȷ.ita dicentẽ.Nõ trucibꝫ
monſtris buſirim infandũq; dediſti Cerciona.
Et facit in gtõ Buſiris vel buſiridis.Virgi.Aut
illaudati neſcit buſiridis aras.Fuit buſiris etiã ĩ
ægypto vrbs:in q̃ teſte Hero.li.hiſt.i.templũ
fuit Iſidis magnũ.quã vrbẽ a buſiride conditã
fuiſſe ſcribit Diodor⁹ li.hiſt.ȷ.ab Aegyptiȷſq;
ſolis vrbẽ.a grȩcis vero Thæbas vocatas eſſe.
Buſſi. Require in dictione Beſſi.
Buſtũ & hic buſtus huius buſtus declinari põt:
& ꝓ ſepulcro ponit.Buſti ĩdeclinabile:rus eſt;
vel villa ĩ agro Mediolanẽſi in Inſubria Italiæ
Buſſolũ.Require in dictiõe Buſſus. (ꝓuincia.
Buxum.Require ibidem
Buxus fœ.geñ.& buxũ neutro:teſte Seruio ſup
li.ȷ.ge.ꝓ arbore declinari põt.Claudia.de ra/
ptu ꝓſerpinæ li.ȷ.Fluctuat hic denſo criſpata
cacumĩe buxus.Enni⁹ li.vȷ.lõgeq; cupſſi Stãt
rectis foliȷs:& amaro corpe buxũ. Scribit aũt
apud grȩcos πόυξοσ :noſtri vo Latini p in
b:& y grȩcũ in u noſtrũ vertẽtes dicũt buxus.
Quinetiã plerũq; noſtri ξ in duplicatũ ſ muta/
re cõſueuerũt.Quare a nõnullis buſſus cũ du/
plicato ſ ſcribit:nũciaturq;.Quod et patere po
teſt:ideo qa Buſſulũ gen⁹ vaſis ex buſſo cũ du
plicato ſ ſcribere cõſueuim⁹.Et qñq; vocabulo
ipſo grȩco vtimur.Iuue.ſaty.ȷ.in cõdita pyxi
de Lyde.Ouid.de remedio.Pyxidas inuenies:
& rerꝫ mille colores.Arborꝫ lignũ:hȩc buxus
& h buxũ declinari põt:teſte Seruio ſup li.viȷ
ȩneid.dicẽte Virg.Tympana nos buxuſq; vo
cat.Mar.Multitudo buxus quȩ tibi dente dat.
Vir.ge.ȷ.Nec tiliæ leues: nec torno raſile bu/
xum.Quinetiam & buxus ꝓ ligno maſ.ge. de
clinari põt auctoritate diui Hiero.in lib.iȷ.Eſ/
drȩ.cap.xiiȷ.ſic dicentis.Tu autẽ prȩpara tibi
buxos multos.i. calamos ex buxo ad ſcriben/
dum Bibliæ:quȩ Eſdra cũ Nemia in quattuor
diſtinguunt libros: p̃dictum capitulũ ꝓ. xiiȷ.
libri quarti notatum habent.

C ante A

CAchinnor deponẽs ẽ ver
bũ. & cachinno neu. Lu/
cre.li.iiȷ. Quã famulȩ lõ/
ge fugiãt: furtimq; cachin
nãt.Et ſcribit cũ c exili in
initio & ch in ſecũda ſyl.
Nec ꝯponit ex con et cyc/
nus:eo ꝙ riſu cachinan/
tes albere videãt: vt ſom
niabũdus dixit Vgutio. ſed teſte Porphy.ſup
artẽ poeticã Horatiȷ:a ſono riſus fictũ vocabu
lũ eſt.vel melius a κάγχάζομαι vbo grȩco
deducit:quod latine ſcat ſolute ridere. Quare
cachinnus ſolutus riſus dr.Perſius.Ingeminat
tremulos naſo criſpãte cachinnos.Iuue.Sed fa
cilis cuius rigidi cẽſura cachinni. Horatius ĩ ar
te poetica:Romani tollent equites: pediteſq; ca
chinnũ.Et teſte Marcello:nõnunq̃ de ſono ve/
hemẽtiore cachinnari vetuſtas dici voluit:Ac/
cium nihilominus inducẽte ita in fũdis dicentẽ
Strepitu clangentes cachinnãt
Cachinno.Require in dictione Cachinnor.
Cachinnus.Require ibidem.
Cacula cũ c exili vtrobiq; ſcribit:nec a calco cal
cas deducit:vt Vgutio ſõniauit: ſed a κακοσ
auctore Pompeio.Plautus.Video caculã mili
tarem.Caculæ militũ:ſerui erãt fuſtibꝫ clauiſ/
q; ligneis armati ad tutelam dominorum.
Cadellus.Require in dictiõe Cadus
Cadiolus.Require ibidem.
Cado cadis facit in p̃terito cecidi:ci ſyllaba cor
repta.in ſupino caſum cum vnico ſ. Boetius.
Qui cecidit ſtabili non erat ille gradu
Cadula.Require in dictiõe Cadus.
Cadulus.Require ibidem
Cadus maſ.ge.cũ vnico d ſcribit:cũ primã cor
ripit ſyl.Tibul.li.ȷ.Cõſulis & chio ſoluite vin
cula cado.Mart.In vaticanis cõdita muſta ca/
dis.Oſſaq; lecta cado texit coryrœus aheno.Et
format p diminutionẽ Cadulus:cadell⁹:cadio
lus:& genus eſt vaſis.Cadula vocant guttæ:q̃
e pingui cadũt carne quãdo aſſat.
Cadurciũm.Require in dictiõe Cadurci
Cadurcus.Ibidẽ. Caducum.Ibidem.
Caduceus.Ibidem Caduceũ. Ibidẽ.
Caduceator. Require Ibidem.
Cadurci cũ c exili vtrobiq; ſcribit:ppli ſũt Gal/
liæ:teſte Pli.li.xx.natu.hiſt. hoc cadurcũ eadẽ
ſcriptura tentoriũ ſiue culcitra appellat. Nec a
cado cadis deducit: vt Vgu.ſomniauit: addẽs
declinari poſſe hic cadurcus maſ.geñ.Sed teſte
Plinio a Cadurcis Galliæ populis dicit:Apud
nos(vt ait)lini p̃ſtantia palmã obtinet in culci
tris.de quo Iuue.ſaty.vȷ.Inſtitor hybernȩ te/
getis:niueiq; cadurci. hoc caducũ dicit lege Pa
pia ſub ꝯditione relictum.Quidã caducũ ideo
dictum exiſtimãt:ꝙ a primis hȩredibus ad ſe/
cundos nõ cadat:hoc eſt poſſeſſorẽ nõ habeat:
ſed velut vacuũ & cadens excipiat. Vnde Cice
ro de oratore ait.In quã hoĩes quaſi caducam
atq; vacuã:abũdantes ocio nobis occupatꝫ im
molauerũt.Iuue.ſaty.ix.Legatũ omne capis:
necnõ & dulce caducũ. Caducus adiectiuũ: nõ
tm̃ ꝙ facile cadat ſignificare habet:ſed etiam ꝙ
cadere faciat.Vnde morbum caducũ dicim⁹:
alꝭs comitialem vocãt.Quin etiã caducus mor
tuus dicitur:vt interp̃tatur Seruius illud Virg.
lib.ȩneid.vi.belloq; caduci.Dardanidæ. id eſt
mortui.Caduceus maſculini generis vt ſcribit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Marcel⁹:virga erat Mercurij:qua pax ſignaba
tur.dicente Varrone lib. de vita patrũ.ij. Ver
benatus ferebat verbenam.Id erat caduceus pa
cis ſignũ. Acron aũt h̃ Caduceũ declinari poſ
ſe oſtẽdit.quom ait ſup primũ carminũ Hora
tij. Virgã dicit caduceũ: quod primo Apollo
habuit:& donauit Mercurio:lyra ſibi tradita.
Iuue.ſaty.vi. Magnaq; debet violatio pœna
caduceo:pes eſt amphimacrus:trib⁹ cõſtãs ſyl/
labis. Prima.ſ.& vltia lõgis: media v̈o breui:
vt ẽ apud Vir. Depẽdent lychni laquearib⁹ au
reis.Et a caduceo formatᷣ Caduceator:q legat⁹
dicitur pacẽ petẽs: auctore Pompe. Vñ Cato.
Caduceatori(inquit)nemo homo nocet.
Caici populi. Require in dictione Caicus.
Caicus cũ c exili vtrobiq; & in latino ſcribitur:
fuit ꝓpriũ viri Troiani nomẽ Aeneæ ſocij.Eſt
eodẽ noĩe fluuius Phrygie:teſte Liuio li.vi.de
bello Macedonico.de q̃ Luca.meminit lib.iij.
dicẽs. Et gelido tellus ꝑfuſa Caico.Iuxta hunc
fluuium ppl̃i habitãtes Caici vocati ſũt: dicẽte
eodem Luca.lib.i.Et nos crinigeros bellis ar/
Cayſter huius ſtri:cũ c & c exili/ (cere Caicos
bus & y grȩco: fluuius eſt aſiæ.teſte Pli. lib.v.
natu.hiſt. hec Cayſtrus eadẽ ſcriptura: vrbs ẽ
Ciliciæ mediterranea: teſte Ptolomæo.
Cayſter. Require in dictione Cayſter.
Calaber maſ.ge.calabra fœ.calabrũ neu.necnõ
& hic calaber hȩc calabris & hoc calabre:a Ca
labrya Italiæ regiõe decliari põt.& cũ c exili &
vnico l ſcribitᷣ. Oui.li.iij.de arte. Ennius eme/
ruit Calabris ĩ mõtibus hortos. Perſius ſaty.
iij.Hæc calabrũ coxit vitiato murice vell⁹.Ma
cro.lib.i.ſatur. Et ipſi curiæ ad quã vocaban/
tur Calabre nomẽ datum eſt:ꝙ claſſis:& om/
nis in eam populus vocaretur.
Cala. Require in dictione Calon.
Calam⁹ & culmus in vno ſignificato accipi poſ
ſunt dicẽte Virg.geor.ij.A fœtu pecoꝝ: aut ce
realis mergite culmi Calam⁹.item arũdo ẽ ma
gis minuta:hñs internodia lõga & recta: ex q̃
ſagittæ apud diuerſas gẽtes fiebãt.Quod Vir.
tetigit:quom ĩ damœta ait. Daphnidis arcum
Fregiſti & calamos. Nã(vt ſcribit li.xvi. natu
ra.hiſto.Plinius)populi orientis calamis bella
conficiũt:& ſpicula illis addũt irreuocabili ha
mo. Eſt etiã calamus virga cui hamus filo lon
go ligatᷣ ad capiẽdos piſces:quin eciam ad ca/
piẽdas aues calamus viſco linitᷣ. Vnde Mar.ait
Galbula decipitᷣ calamis:& rætibus ales. Tur/
get adhuc viridi quõ leuis vua mero. Calam⁹
penna ſcriptoris dicitur. Nec a caleo cales cala
mus deducitur: vt Vgutio ſomniauit.
Calcaneum. Require in dictione Calx.
Calcaneus:Ibidem. Calex.ibidem.
Calchas cũ c exili in initio & ch aſpirato ĩ ſecun
da ſyllaba filius fuit Troiani Teſtoris.& facit
in gtõ calchãtis vel calchæ. teſte Priſciano dicẽ
te etiã in menæchmis.Plauto: Noſti illũ. noui
em̃ calcha ſũ.Calchæ.pſalis tm̃ nũeri: oppidũ
eſt cãpaniæ:teſte Ptole.quod altas cales vocatᷣ.
Calceus & calceariũ in vno ſignificato accipi
pñt.Calchos grȩce latine dicitᷣ æs.et cũ ch aſpi
rato ĩ prima.& c exili in ſecũda ſyllaba ſcribitᷣ.
Calcæ.Require in dictione Calchas.
Calceus.Ibidem. Calceariũ.Ibidẽ.
Calceo calces cum e in ſecunda ſyllaba.& calcio
cum i teſte Priſ.& ſcribi & efferri poteſt: qn &
calceor deponẽs Varro ꝓtulit quom Nonio
referente ait. Nemo ſe excalcietᷣ ꝓ excalciet.
Calcio as.Reqre in dictione Calceo
Calcior aris.Require Ibidem.
Calcidiũ.Require in dictiõe.Chalcis.
Calcis cũ ch aſpirato in prima ſyllaba vrbs eſt
metropolitana ĩ Eubœea:teſte Liuio li.viij.de
ſecũdo bello punico.Alia eſt eodẽ noĩe ĩ chal/
cidica regione Syriæ.teſte Ptole.alia in ætolia:
teſte Strab.lib.x. Et a Chalcide Calcidiũ:ȩdifi/
cij genus dictũ eſt.vt teſtatᷣ Feſtus. Nec a calco
calcas deſcendit:vt Vgutio ſomniauit
Calœnũ cũ c exili & vnico l & œ dipthõgo ſcri
bitᷣ ꝯponitq; ex Κάλοσ.q̃d ẽ bonũ & οἶνοσ
vinũ.alij dicũt calœnũ vinũ a Cale oppido cã
paniæ vbi naſcitᷣ dictũ eſſe. Nec ſcribitᷣ carenũ
a careo cares: vt ridiculus ſomniauit Vgutio.
Iuue.ſat.i.Occurrit matrona potens: q̃ molle
calœnũ.Porrectura viro miſcet ſitiẽte rubetã.
Caledon inſula eſt.Require in dictiõe Calydon.
Cales oppidum.Require in dictione Calchas.
Caleo cales cũ vnico l ſcribitᷣ.Nã primã corri/
pit ſyllabã dicẽte Virg.lib.æneі.xij.Recalcent
noſtro tyberina fluẽta. a cales formatᷣ caleſco.
quod apud antiquos habuit p̃teritũ caleſci:te/
ſte Nonio. Vnde Cato de bello carthaginenſi
inquit.Aures nobis calefecerũt ad iniurias. Et
a caleo deriuatᷣ calidus.& p ſyncopam caldus.
quod vt ſcribit Q uinti.primũ Auguſtus Cæ/
ſar vſurpauit.Mar.Frigida nõ deerit:nõ deerit
calda petẽti. At in alio ſignificato Calleo ver/
bũ cũ duplicato l ſcribitᷣ: & primã ꝓducit po/
ſitione ſyllabã. Perſius dicẽda tacẽdaq; calles.
id eſt callid⁹ es in dicẽdis tacẽdiſq;.a q̊ v̈bo cal
lidus etiã cũ duplicato l deſcendit. Veteres etiã
vt teſtis eſt caper:calleor deponẽs protulerũt.
Calleo item cũ gemiato l verbũ aliud cõperitᷣ.
Vnde qui calloſus eſt callere dicitur.Plautus in
perſa.Plus calleo:q̃ primum callum caller.
Caleſco.Require in dictione Caleo.
Calidus.Ibidem. Callidus. Ibidem
Callis.Require in dictione Calon.
Calleo es.Ibidem. Calleor.Ibidem
Calles.Require in dictione Calon.

Callor.Reqre ibidē.
Callum.Ibidem
Calle.Ibidem.
Callus.Ibidem

Calydonia.Require in dictione Calydon.

Callix.Require in dictione Calon.

Calydon cū vnico l & y græco ſcribitur.ciuitas
eſt ætolorum:teſte Stra.lib.x.quā fluuius ſecat
Euenus noīe dicēte Luca.li.vi.Euenus Calido
na ſecat:hæc & Calidonia dr̄. Caledon cū vni/
co l ſequēte e:inſula eſt Britāniæ: vt refert Pli.
li.iiij.natu.hiſto. Lucanus libro præfato. Vn/
da caledonios:fallit turbata Britannos.

Calix.Require in dictione Calon.

Calliopea. Require in dictione Calliope.

Calliope huius pes.& Colliopea in recto decli/
nari pōt:& cū c exili & i latino : & duplicato l
ſcribit̄.Virg.lib.æneid.x. Vos o Calliope: præ/
cor aſpirate canenti. Ouidius in Faſtis . Prima
ſui cœpit caliopea chori. Vna fuit muſarum.

Calon cū c exili & vnico l ſcribit̄:& lignū inter/
pretat̄.Inde cala deſcēdit.Eſt aūt Cala fuſtis ſi/
ue claua lignea. Vn̄ Lucil.ait.Scinde calam:vt
caleas.h̄ eſt ſcinde lignū:& focū accēde vt te ca
lefacias.Calo ī eadē ſcriptura ſcribit̄: Calones
vt Pōpeius ſcribit & Seruius.militū ſerui erāt:
qui calas:h̄ eſt clauas ligneas vel fuſtes gerebāt
Hora.Hūc permixerunt calones atq̧ caballi.
Calones item teſte Feſto: calcei quidam ex li/
gno facti dicunt̄. Cala etiā vrbs eſt Indiæ: teſte
Ptole.calon propriū fuit viri nomen: q vt ſcri
bit Quintili. ſtatuarius fuit. Caulon mons eſt:
teſte Seruio in calabrya: cuius meminit Virg.
lib.æneid.iij.dicēs.caulonisq̧ arces:& nauifra
gū Scylaceū. In h̄ monte:teſte Igino de vrbib9
Italicis:olim oppidū fuit:quod ab Horatio et
Mar.aulon dictū eſt:vt in dictiōe aula diſſerui
mus.Caula ouille dicit̄.callis cū duplicato l pe
coꝝ:ſemita eſt callo ꝑdurata::teſte Serui. maſ.
qdem ge.auctore Priſ.ſed et fœ.vt Caper teſta
tur & Probus.Callus & callū cum duplicato l
declinari poteſt.Nā maſ.gen.callus Marſus ꝓ
tulit:neu.Plau.cū ait in Perſa.plus calleo q̄ pri
mū callum callet.Cales opidū eſt ī gallia: teſte
Serui.ſup lib.vij.æneid.Aliud eſt eo noīe oppi
dū in Cāpania:a q̊ Cales ppl̄i ſunt vocitati: vt
idem Serui.ſcribit.de qbus Vir.li.ꝑfato.æquo
ra quiq̧ cales linquūt.Quod oppidū vt docet
Ptole.etiam Calcæ dictæ ſūt:calæ pl̄alis tm̄ nu.
vrbs eſt Indiæ:alia a cala. de qua dictum eſt:vt
Ptole.oſtēdit.Calis cū i latino græcū eſt voca
bulū:teſte Macrob.q apud græcos Κύλιξ ſcri
bitur cū y græco in prima ſyllaba: quā litterā
Latini mutātes ī a dicūt calix. At v̄o Feſtus la
tinam dictionē eſſe voluit. Ait em̄:calix dicit̄:
q̧ ī eo calidū bibat̄.Quod etiā lōge ante Feſtū
Varro de ling.lati.tradidit:dicens. Calixa cal
do:q̧ in eo Calda puls apponebat̄:& caldum
eo bibebāt.genus eſt populi.Calix cū y græco
foliculus eſt quo arboris fructus cooperit̄.et a
Κάλοπατω: quod eſt cooperio deducit̄ . Et
cum c exili & vnico l omnes ꝑfatæ dictiōes ſcri
bende ſunt : præterq̄ callis & callus que cum du
plicato l ſcribuntur.

Calor & maſ.ge.eſt & neu.dicēte Plau. Neq̧ fri
gus neq̧ calor metuo:neq̧ ventū neq̧ grādinē
Calor itē fluuius qdam eſt prope cannuſium.

Calo.Require in dictione Calon

Calueo calues ſecūda.& caluo caluis tertia cōiu
ga.teſte Priſ.decliari poteſt:qn & caluor depo
nens Plau.ꝓtulit: cum ait in Caſſiana.Nā vbi
domi ſola ſum ſoror manus caluitur.i.decipit
a Cauillo cauillas & cauillor deponēs:teſte Pri
ſci.declinari poteſt: quod v̄bū (vt ait) a caluo
caluis format̄ l lr̄a abiecta.Inde venit cauilla
tio:cauilla cauillū.Feſtus.Cauillatio:iocoſa ca
lumniatio.Idem.cauillū cauillatio.id ē irriſio.
Plau.Pone hoc ſit:aufer cauillā.i.cauillationē:
vt probe interꝑtatus eſt Nonius.Cauillatio ꝓ
prie ē ſubdola ratio:quā nos cōſcij nobis men
dacij:vincēdi tn̄ cauſa ꝓferim9: & nōnunq̄ ꝓ
quodā facetiaꝝ genere ponit̄.Cice.de oratore
Etem̄ cū duo ſint gn̄a facetiaꝝ: Alteꝝ æq̄liter ī
omni ſermone fuſum. Alteꝝ pacutum & bre
ue:ſupior Cauillatio:altera Dicacitas noīata ē

Caluor.Require in dictione Calueo.

Caluo caluas prime cōiuga. Vnde Decaluo as:
excaluo as.notam habent ſignificationem.

Calx cū x in fine tam fœ.q̄ maſ.ge.eſt: teſtibus
Capto & Probo. Vnde Noni9 calces (inquit)
a calcādo dictæ ſunt. Virg. Cornipedē q̧ citum
ferrata calce faticat . Idē eſt q̊d & calcaneus vel
calcaneum.Neutro enim ge.ſicut & maſ.decli
nāri poteſt. Vir.in Moreto.Cōtinuis rimis cal
canea ſciſſa rigebāt.At vero in alio ſignificato
Calcs cum cs ſcribitur:teſte Diomede.& fomi.
tm̄ generis eſt:teſte Priſciano.

Camelus cū c exili & e abſq̧ diphthongo & vni
co l ſcribit̄:& ſi Raudenſis cōfrater me9: & Gaſ
parinus cū geminato l ſcribi ꝑcipiāt. & cōis ge
ne.eſt. Vnde Hierony.in Geneſi:cap.xxxij.ait.
Separauit camelos fœtas cū pullis ſuis trigīta
At v̄o ꝓ fune nautico camelus maſ.tm̄ ge.eſt.
Chamælæa cū ch aſpirato & æ diphthongo in
ſecūda & penultima ſyllaba & vnico l ſcribit̄:
etſi a Tortel.cū c exili & æ diphthongo ī ſecū
da dūtaxat ſyllaba ſcribendū tradat̄:genus eſt
herbæ.Camæleon cum ch aſpirato (nō cum c
exili vt vult Tortellius) & æ diphthongo ſolū
ſecūda ſyllaba & vnico l : animal eſt q̄drupes.

Camælæa.Require in dictione Camelus.

Cameleon.Require ibidem.

Camenæ cū c exili ab antiqs carmenæ vel caſme
næ:teſte Var.de lingua latina dictæ ſunt. Nunc

autem abiecta re vel ſlr̃a camene vocant̃. Boetius. Ecce mihi lacerę dictāt ſcribēda camenæ.

Camera cum c exili ſcribit̃: et interp̃tatur fornix ſiue teſtudo. Camurus adiectiuū: obtortus dicitur vel curuatus. Virgi. in geor. Pes etiam et camuris hirtę ſub cornibus aures

Camilla cū c exili & i latino & geminato l: filia fuit Metabi regis priuerni Volſcorum vrbis: dicēte Virg. lib. ęneid. vij. Volſca de gente Camilla. Sane teſte Statio Tuliano: lib. i. de vocalibus reꝝ: camilli vocabulo Tuſci: p̃miniſtrū deoꝝ ſignificāt. Vñ & Mercuriū camillum dicunt factū eſſe: vt ſcribit Macro. Quin etiā Romani: teſte eodē Macrob. pueros: puellaſq; nobiles & iuuenes camillos: & camillas appellabāt. Quare camillus ꝓprie auctore Feſto puer ingenuus dicitur. Quoddā etiam vaſis genus: quod opertum in nuptijs ferebāt: in quo erant nubētis vtenſilia. Camillum vocabāt: q̊d alio (vt ait) nomine cumera dicebatur

Camilla. Require in dictione Camilla

Camiros cū c exili & i latino: vrbs fuit in regione Dorica: vt oſtēdit Herodotus li. hiſt. i. Alia eodem noīe fuit in rhodo: teſtibus Pompeio: Mela & Homero lib. Illiados. ij.

Cammarus cū c exili & duplicato m: gen⁹ eſt piſcis. de quo Mar. Cōcolor in noſtra cammare lance rubes. Iuue. Dimidio ponat̃ cammarus ouo. Cāmara vrbs eſt Cretæ a latere orientali: teſte Ptolemęo.

Cammata vrbs. Require in dictiōe Camarus.

Campeſter maſ. campeſtris fœmi. cāpeſtre neu. gen. & hic & hęc cāpeſtris & hoc cāpeſtre: teſte Priſ. declinari poteſt. Cato in originib;. Agrū quem Volſci habuerūt: campeſtris fuit.

Canale. Req̄re in dictione Canalis.

Canalis cum vnico n ſcribit̃: cū primā corripiat ſyllabā. Vir. in ge. Currentē ilignis potare canalib; vndam. Et teſte Seruio ſup. ij. geor. fœ. melius q̄ maſculino ge. ꝓfert̃. ſed & maſ. gñis cōperit̃. Vñ Feſtus ait. Illices canales: in quos aq̄ cōfluit in vijs lapide ſtratis. Et Calphurni⁹ Eglo. iiij. inq̄t. Hos poti⁹ calamos: magis hos ſectare canales. Sed & h̃ canale declinari poteſt Stati. li. ſil. i. Flumina diuerſo trahit intemerata canali. Nā a neu. genere ablatiui hic caſus eſt.

Cācer huius cācri maſ. ge. cum c exili vtrobiq; ſcribit̃: nec a cōcha deſcendit: vt Vgutio ſomniauit: ſignū eſt cæleſte: q̄ ať s carcinus cū c exili vtrobiq;: & i latino vocat̃. Et corripit mediam ſyllabā. Lucan⁹ li. xiiij. Par geminis chiron: & idem q̊d carcin⁹ ardēs. Cancer item gen⁹ eſt piſcis: qui alio nomīe teſtib; Feſto & Nonio gangræna cū æ diphthōgo ī media ſyllaba appellatur: dicēte etiā Lucil. ſatyraꝝ. i. li. Cerpere vti gāgręna malo: atq; hęc peſtica poſſet. Cancer



eadem ſcriptura: neu. eſt ge. ꝓ morbo: teſte Priſcia. & facit in gt̃ō canceris.

Caniſtrū cū vnico n ſcribit̃: cū prima ſyl. corripiatur. Hora. ſermone. xvi. Quę ꝓcul extructis inerāt heſterna caniſtris. Iuue. ſaty. v. Audax cōuiua caniſtris: ciſta eſt: vľ calathus: nec a canna deducit̃. vt Vgutio ſomniauit. ſecū: auctoribus tñ Varro. de ling. lati. & Pompe. gręca dictio eſt: apud q̊s Κάνασ τρον ſcribitur: quod latini a ī i vertētes: caniſtrum dicūt

Canicula. Require in dictione Canis.

Caniculus. Require ibidem.

Canis ꝓ canes ī recto veteres ꝓtulere: teſte Var. de lingua lati. Ennium īducente dicētem. Tantum idem quaſi fręta canes ſine dētibus latrat. Canis cōis ge. eſt: & format diminutiue canicula: teſtibus Diome. et Priſci. Perſius. Hem quid agis: ſiccas ī ſana canicula meſſes. Vgutio dicit ꝙ a canis format̃ diminutiuū etiā canicul⁹: cū tamen ꝓ maſculino catulus potius dicat̃: & catellus. Vñ in euāge. Matthei legit̃. Nā et catelli edūt de micis que cadūt de mēſa dominorum ſu orum. Vir. Sic canib; catulos ſiľes. ſic matribus hędos. Catulus eadē litteratura genus eſt vinculi: teſte Pompe. necnō propriū viri nomē de quo Lucan⁹. li. ij. Vt catulo iacuit Lepidus. Quędā etiā Romę familia catuloꝝ familia fuit: de q̄bus intellexit Iuue. cum dixit. Et catulis: pauliſq; minoribus: & Fabijs: & omnibus ad podiū ſpectātibus. Catullus cū duplicato l q̄dam fuit Poeta veronēſis: qui ab oībus doctus habitus eſt. de quo Ouidi. meminit dicēs. Mantua Virgilio gaudet: Verona catullo. Pelignæ gētis gloria dicar ego. Et Tibullus ait. Sic cecinit ꝓ te doctus Minoi catullus. Marti. Verona docti ſyllabas amat vatis. Cāna cū duplicato n ſcribit̃: nec a cano canis deriuatur: vt Vgutio ſomniauit: ſed hebręū eſt Hiero. auctore vocabulū: dicēte ī alphabeto. Notandū itaq; eſt: ꝙ noſtrum latinū cāna: a lingua hebręa ſumptū eſt. Cānę p̃ľalis tm̃ nu. etiam cū duplicato n: vicus eſt ī Apulia: romana clade nobilis: de quo meminit Iuue. ſaty. ij. dicēs. Quid Cremerę legio. Cānis cōſumpta iuuētus. Luca. li. ij. Tempora cānarum fuimus: Trebięq; iuuētus. Canna vrbs eſt Lycaoniæ: teſte Ptolemęo

Cannabis cum c exili & duplicato n: ea eſt: qua nauium chordæ fiūt. Perſius. Tum mare tranſilias tibi: torta cānabe fulto

Cannæ. Require in dictiōe Canna.

Cano facit in p̃terito cecini. in ſupino cantum: Participiū tamē futuris in iturus terminat̃ Vñ Hierony. in Apocaľ. cap. viij. ait. Qui erāt tuba canituri. Cum cano cōpoſita formāt p̃teritum in ui: vi p̃cino præcinui. concino cōcinui. Occino aūt vt Probus tradit: occini facit: quin

etiam occinui, necnõ & occanui: teſte Priſ. Saluſtium inducẽte dicentẽ lib. hiſto. i. Iuſſu Metelli cornicines occanuere tubis. a cantu ſupino formatur hic cãtus huius cantus. et hęc cãtio. Vñ Pſalmographus ait. Quia illic interrogauerũt nos: qui captiuos duxerũt nos: verba cãtionũ Canor etiã ꝑ cantu ponit̃. Lucre. li. iiij. Paruus vt eſt cygni: melior canor ille gruum q̃. Oui. libro Metamor. v. Nec tamẽ ille canor mulcendas natus ad aures. Cantes fiſtulæ dicũtur organoꝝ. Canthus cũ c exili et th aſpirato: gręcũ eſt vocabulũ. Perſi⁹. Vertentẽ ſeſe fruſtra ſectabere canthũ. Et eſt ſecũdę decli. Hierony. in lib. iiij. Regum. capi. vij. Et axes earum: radij & canthi: & modioli: om̃ia fuſilia. Et eſt circũferẽtia: qua rota vertitur.

Canobus cum c exili & vnico n & b ſcribi conſueuerat: teſte Seruio. Verum (vt ait ſup li. xi. ęnei.) b in p poſtea mutatũ fuit. Quod Quinti. prius notauerat a Tullio dictũ. Cano Picarũ exercitũ: cum p nõ cum b ſcriptum: fuit nauis Menelai gubernator. Eſt etiã Canopus Nili inſula & ciuitas in eadẽ: quã teſte Seruio ſup. iiij. geor. Alexander inſtar ciuitatis ſuę Macedonicæ: q̃ Pella vocabat̃: cõdidit. Quare li. p̃fato dixit Virgi. Nam qua pellęæ gens fortunata Canopi. Hãc Vgutio etiam Canopam appellat.

Canor. Require in dictione Cano

Cantes. Require ibidem. Cantia. Ibidem

Canthus. Ibidem. Cãtus. Ibidem.

Cantharis huius ridis cũ c exili & th aſpirato: et hęc cãtharida ab actõ gręco formata: declinari in recto poteſt. gen⁹ eſt vermis terrei. Oui. in Ibim. Cantharidũ ſuccos dãte parente bibas.

Cantharus eadẽ ſcriptura: genus eſt vaſis. de q̊ Virg. in Sileno. Et grauis attrita pẽdebat cantharus anſa. Canthari etiã vocantur: per quos aquę ſaliũt: teſte Vlpiano de legatis primo.

Cantharus. Require in dictione Cantharis.

Caper & caprus in recto declinari poteſt: teſtibꝫ Probo & Beda ſuper Donati artẽ: & habet fœmi. capra: q̃ (vt idem Probus tradit) in dtõ plura. & abltõ facit caprabus. Sunt tamẽ q capris q̃ caprabus malũt eſſe dicẽdum. Caprus itẽ fluuius eſt Aſſyrię in Tigrim fluẽs: teſte Prolem̃.

Caprea ſilueſtris eſt capra. Virgi. li. ęnei. x. Cõſpexit capream: & ſurgentẽ incornua taurũ. Et a caprea fit diminutiue Capreolus: penul. ſyllaba correpta. Vir. eglo. ij. Capreoli ſparſis: etiã nũc pellibus albo. Caprę p̃rali tm̃ nu. declinãtur: dicẽte Iuue. Et grandis epiſtola venit. A capreis: inſula eſt in Tyrrheno mari: teſte Ptole.

Capeſſo facit in p̃terito capeſſi: teſtibꝫ Diomede: & Chariſio. in ſupino capeſſitũ. Alij dicunt ꝙ facit in p̃terito capeſſiui. in ſupino capeſſũ. Qđ etiam Alexãder tradidit: quo ad ſupinũ: ęum dixit. So ſi tumq; facit: ſed deme capeſſo. Q: ſi ſumq; facit: Ego aũt duplex inuenio habere p̃teritum: & cõſequenter duplex ſupinũ. capeſſi ſcilicet: quo fit capeſſum. et capeſſiui. a quo formatur capeſſitum. Vñ Auguſtinus li. ij. de ciui. dei cap. xi. Sunt autẽ Cice. verba lib. de rep. ait. Aeſchines ciuis Atheniẽſis vir eloquentiſſimus: cũ adoleſcẽs tragœdias actitaſſet: remp. capeſſiuit. Saluſti. lib. hiſto. ij. Diuerſa vti ſolet rebus ꝑditis capeſſiuit

Capio capis facit in p̃terito cepi. At v̾o Cœpio cœpis: quod apud antiquos totã declinationẽ habuit: cum œ diphthõgo ſcribitur. Vñ Cato ait. Cœpiam ſeditioſa verba loqui. Plau. ĩ Menæchmis. Neq; pugnas velitis cœpio. Teren. in Adelphis. Sex totis menſibus olfeciſſe: q̃ ille quicq̃ cœperet. Nũc autẽ p̃terito huius v̾bi cœpio: quod cępi ꝑ pręſenti vtimur tempore: & nõnunq̃ per diæreſim diphthõgus ipſa diuiditur. vt eſt apud ip̃m Lucretiũ lib. iiij. Si qs forte manũ pręmere ac ſiccare cœpit. Eſt aũt cœpere quod Põpeius ꝓtulit: incipere: inchoare. Capio vero plura apud Marcellũ habet ſignificata: hoc nihilominus in loco annotãda. Capere inquit Marcellus: eſt implicare: ĩpedire. Virgi. georgi. i. Aut oculis capri fodere cubilia talpę. Capti: ꝓpitiari. Lucre. li. ij. Nec bene pro meritis capit̃: nec tangit̃ ira. Capere: facere. Terẽ. in andria: Nõ ſi capiũdos mihi ſcio eſſe inimicos om̃es homines. Capere: ꝑpeti. Teren. in heauton. Dũ abs te abſum: om̃s mihi labores q̊s cepi: leues. Capere: tollere: tenere. Vir. geor. iij. Cape ſaxa manu: cape robora paſtor. Capere eligere. Teren. in ecyra. Cum illũ generũ cepimus. Vir. georgicoꝝ. ij. Ante locũ capies oculis. Capere: delectare. Virg. lib. ęnei. viij. Aeneãs capiturq; locis. Tullius ĩ prima philip. Nõ poſſum adduci & ſuſcipe pecuniæ captũ. id eſt delectationẽ. Cape: ſuſtinere: habet̃ Vir. li. ęneidos. viij. Hęc illum regia cepit. Terẽt. in heauton. Dij boni: qđ turbæ eſt: ędes noſtrę vix capit. Capere: circũuenire. Virg. lib. ęneid. ij. Captiq; dolis: lachrymiſq; coacti. Tullius ĩ Hortenſio. Captũ me fortaſſe tu putas. & id quod nollem: cõfiteri coactũ. Capere: occupare. detinere. Virg. lib. ęnei. ij. Certãtq; illudere capto. Tullius ĩ verrem. Nauẽ pirataꝝ pręda refertã nõ ceperunt: ſed adduxerũt. Cape: ſatiare. Virgi. lib. ęneid. iiij. Tanta meę ſi te ceperũt tædia laudis. Capere: accipe. Virg. lib. ęnei. ij. Tu genitor cape ſacra manu: patrioſq; penates. Capere: cõplecti. Varro ĩ Marcipiore. Propontis vnda q̃ liquẽti cęrula natantẽ ꝑfunbit cape Capere: inuenire. Tullius ĩ Verrem. Reiecti a chelidone capiũt cõſilium neceſſariũ. Hæc omnia Marcel. Verũ Laurẽti⁹ nõnulla hui⁹ v̾bi expo

ſita a Marcello ſignificata improbat. Ait enim Quis credit auctores vni dictiōi tot ſignificata & qdem pro ſe queq̄ noua dare voluiſſe:tan/ q̄ linguā ipſam cōfundere cuperēt. Cur igitur ita locuti ſunt. Nempe ꝙ nihil intereſt inter has ſcatiões:capio hoſtem. capio generum. capio ſaxum. Præterea duę ꝓprietates in hoc verbo notande ſunt. Vna ꝙ habet reciprocū quendā vſum:vt idem ſit. cepi voluptatem. et cepit me voluptas. Cicero. Magnam cepi ex litteris tuis voluptatem. Quintil. Nec me tāta capiebat vo luptas:ꝙ fluentia cæris mella cōderem. Altera ꝙ capere ſignificat ſponte vel nō ſponte accipe re:ſumere tantum ſpōte. atq; hinc eſt illud. cepi labores. cepi moleſtiam. cepi dolorem. cepi vl' ſuſcepi inimicitias. ſuſcepi curas. ſuſcepi ſūptus accepi calamitatē. accepi cladem. accepi damnū accepi iniuriam. accepi cōtumeliam. accepi re/ pulſam. accepi vulnus. Vale. Maximus ita pla ne horum verbor proprietatē diſtinxit:vt hāc differentiam pene pcipere videatur. Ait em̄ de Cenſorio loquēs. Vt nō coactus enſem accipe ſed ſua ſponte ſumere videretur.

Capidula. Require in dictione Capis

Capidulum. Reqre ibidē.

Capys huius capis cum y grǽco ſcribitur:pro/ prium fuit viri nomē:qui Capuam campanię vrbem cōdidit:dicēte Virgi. lib. ęneid. x. Et ca/ pys nomē Capuanę dicitur vrbi. Liuius autē a camporum planicie: capuam cognominatā tradit. Plinius a quadrageſimo capuam dictā putat. Strabo:ꝙ ſit. xij. vrbium caput:dictam aſſeruit. Capis cum i latino maſcul. ge. Tuſcū eſt vocabulū:teſte Seruio:& apud nos falco di citur. Capis huius capidis cum i latino fœmi. ge. eſt:teſte Priſci. grǽcumq; (vt ait) vocabulū: illud apud Lucillū afferens exemplū. Capidaſ/ q; repertas. Nam ſi capis latina dictio eſſet:ac/ cuſatiuū grǽcum capidas nō protuliſſet. Lucil lus:ſed latinum capides. Feſtus tamen latinam vult eſſe dictionem. Ait em̄:capis poculi gen⁹ dictū a capiēdo. Et format per diminutionē ca pidula:teſte Priſ. Hoc capidulū vt ſcribit Pom peius:genus eſt veſtimenti quo caput tegatur.

Capus & Capo in recto caſu declinari poteſt: teſte Seruio. et hoc differt a gallo:ꝙ capo teſtes ablati ſunt:gallo minime.

Capital. Require in dictione Capitale.

Capitale:& per apocopen capital: tam ꝓ pecu/ nia q̄ pro facinore:quod capitis pena luitur:de clinari poteſt. Plau. in Menęch. Nunq̄ Hercule effugiet tameſi capital fecerit. Eſt etiā capital vt ſcribit Feſtus:linteum quoddam quo in ſacri/ ficijs vtebātur.

Capo caponis. Require in dictiōe Capis

Capus pi. Require ibidem

Capſa. Require in dictiōe Capſus.

Capſula. Ibidē. Capſella. Ibidē.

Capſus carruca dicitur vndiq; tecta. Capſe non venit a capio. vt ſōniauit Vgutio:ſed teſte Pō/ peio a καμπτω: quod eſt curuo. Et format per diminutionē capſula & capſella. Eſt etiam capſa vrbs Aphricæ:teſte ptolemęo.

Capre. Require in dictiōe Caper

Capreolus. Ibidem. Caprea. Ibidem

Capricornus. Require in dictiōe Aegoceron.

Capreæ. Requirē in dictione Caper

Caprus. Require ibidem.

Capronæ. Require in dictione Caupo.

Capula. Reqre in dictione Capullus.

Capulum. Require ibidem.

Capulus & capulū declinari poteſt. & cū vnico p ſcribit. Nā & primā corripit ſyllabā:dicente Vir. ęnei. xij. Vt capulū ignotū:dextramq; aſ/ pexit inermem. Capulū (inquit Feſtus) & ma/ nubrium gladij vocatur:& id quo mortui ef/ ferūtur. Lucanus. Excuſſit criſtas galeis:capu/ loſq; ſolutis. Perfugit gladijs. Marcellus. capu lum dicitur quicquid aliquā rem intra ſe capit Capula fœmi. ge. genus eſt veſtis.

Carbalus fœmi. ge. eſt:teſte Priſci. at vero Pho/ cas. maſ. eſſe ge. tradidit. Probus autem & ca/ per maſ. & fœ. ge. ſing. nu. eſſe dixerūt. Plurali vero nu. neu. ge. eſt. Seruius ſcribit carbaſum eſſe genus lini:& abuſiue pro velo poni. Vale. Maximus lib. i. Qua adorante cum carbaſum quem optimum habebat:foculo impoſuiſſet: ſubito ignis emicuit.

Carcer maſ. ge. eſt:quin & neu. ge. teſte Priſ. ve/ teres protulerūt. Sed infirmū eſt quod priſcia/ nus affert exemplum

Cardiacus morbꝰ (vt ſcribit Cornelius celſus) ex nimia ībecillitate corpis:& lāguēte ſtōacho ſudore nimio naſcit. Verꝰ (vt pgit) ībecillitati vino ſuccurrit:ꝙ nō ſit auſterū ſed meracum. Nā (vt ait) vino ī ſtomacho ꝯtento calor conti netur. Scribit aūt cor cū c non aſpirato:& for mat diminutiue corculū:auctore Hierony.

Cardo maſ. & fœmi. ge. eſt:teſtibꝰ Capro:Pro/ bo:Priſci. Gracchus in talēto. O grata cardo: regium ingreſſum indicās. Virgi. Haud tanto ceſſabit cardine rerum.

Careo cares facit in ꝑterito carui:et caſſus ſum cum geminato ſ: in ſupino caritum & caſſum; teſte Priſcia. Antiqui tamē: vt teſtis eſt Caper: careor deponēs protulerunt. Et tam grō q̄ ab/ latiuo iūgitur:teſte Gellio in noctibus atticis: Nonium referente dicentē. Carendum tui eſt. Quin etiam cum actō veteres conſtruebant:vt teſtis eſt Marcellus: Turpilium & ipſe indu/ cens ita ſcribentem. Meos parentes careo.

Careor. Require in dictione Careo.

Carex.cum e in recto effertur:teſte Priſ.Iſidor⁹
autem cum i carix enũciari p̃cipit:herba eſt ſpi
noſa fœmi.ge.dicẽte Virg.Et carice paſtus acu
ta. Carica cũ c exili vtrobiq; & y gręco:genus
eſt ficuum a loco ſic dictaꝝ:teſte Iulio Polluce:
nõ autẽ a copia:vel χορίσ. quę eſt grã: vt cũ
Catholico ſomniauit Vgutio.Oui.li.Met.viij
Hic nux.hic mixta rugoſus caryca palmis.
Caryca.Require in dictione Carex.
Cariota huius cariotę. & Cariotis huius cario-
tidis declinari poteſt:& cũ c & t exilib⁹ & i lati
no ſcribit̃.& a κάρα quod eſt caput deducit̃:
ſpecies eſt palmarũ:teſtibus Plinio & Stra.lib.
vlti.Mar.Aurea porrigit̃ Iani cariota calẽdis.
Idem.Hoc linitur ſputo:Iani cariota calendis.
Idem.Hinc & multiplices ſtruit tabellas.Et no
tas cariothides theatris.Papi.in ſiluis. Et latẽte
palma p̃grandes cariotides cadebant.
Cariotis.Require in dictione Cariota.
Caryſte huius caryſtes . & caryſtos huius cary
ſti declinari poteſt.ſicut Samos & Same. Mico
nos.Mycone.Strongylos:Strõgyle.Cyrnos:
Cyrne:& cum c & t exilib⁹ & y gręco ſcribit̃:
inſula eſt vna ex cycladib⁹: Euboico mari ſita:
imo(vt q̃dam ferunt)cũ Euboico mari cõiun
cta varij q̃dem marmoris ferax: dicente Senes
ca in Troade.An ferax varij lapidis caryſtos.
Et Lucanus lib.v. Qua maris anguſtat fauces
ſaxoſa caryſtos.Et Statius li.Thebai. vij. Nõ
te ſaxoſa caryſte. Et a caryſte fit caryſtęus adie
ctiuum cum æ diphthongo in penultima ſyl-
laba. Vñ & caryſtęum marmor dictũ eſt:non
autem a χάρισ gratia:vt Vgutio ſomniauit
Ouid.lib.iij.Faſtoꝝ.Quaq; caryſteis frãgitur
vnda vadis. A caryſtos autẽ fit Caryſtius. Ti
bullus. Ardẽs aut vnda caryſtia campis.
Caryſtęus.Require in dictione Cariſte.
Caryſtos.Require ibidem.
Chariſtia neu.ge.plu.tm̃ nu.cũ ch aſpirato i la
tino vtrobiq; ſcribit̃:q̃ antiq diem feſtũ voca
bant:q̊ cognati cõueniebãt:& munera mutuo
mittebãt.Oui.in Faſtis.Proxima cognati dixe
re chariſtia chari.Et a χαρισ q̃ ẽ grã deriuat̃.
Caritas & caritudo ĩ vno ſignificato accipi poſ
ſunt.Liuius lib.ij.ab vrbe cõdita.Caritas pri-
mũ erat annonæ: & cum c & t exilibus & i lati
no ſcribitur.Nã a careo cares deſcendit. Vnde
etiã Carus in ea ſignificatiõe ſcribi debet cum c
exili.Charitas cũ ch aſpirato & i latino & t exi
li:amorꝫ eſt ſpecies. Vñ amor ad oĩa: charitas
ad hoĩes.habet̃ inde Char⁹:gratus.vel amore
deuictus:cũ ch aſpirato ſm orthographiæ ra-
tionẽ annotat̃ Charites eadẽ ſcriptura dici pñt
gratiæ:quas Antimach⁹ Solis & Aeglæ filias
fuiſſe dixit.Orpheus aũt tres Iouis filias fuiſſe
tradit:q̃s & vno verſu comprehendit:cum ait.
ἀγλαΐα θαλίατε καὶ εὐφρόσ ὄμχ πολυ-
ολβος. Auſo. Tris charites:tria fata: triplex
vox:trina elemẽta.Caritos cũ c exili et i latino
& th aſpirato:inſula eſt vna ex cycladibus
Carithes.Require in dictiõe Charitas.
Charithos.Ibidem Caritudo.Ibidem.
Carix.Require in dictione Carex.
Carmenta:latina dictio eſt nõ gręca:nec tñ a car
po carpis deſcẽdit:vt Vgutio ſomniauit. hanc
teſte Ptolem̃. in vita Romuli: nõnulli Arcadis
Euãdri fuiſſe matrẽ arbitrãtur:reꝝ vt ait: futu
rã admonitricẽ: q̃ Phœbo dedicata carminib⁹
oracl'a ſignificabat.vnde dicta eſt carmẽta. Nã
gręce Nicoſtratæ ei nomẽ fuit. Quod aũt Ar-
cadis mater fuerit:confirmat Oui. dicẽs li. Fa-
ſtoꝝ.i.Hęc quoq; ab Euãdri dicta parẽte reor
Alij vt ſcribit Seruius: Carmentã dictã putãt:
quaſi careat mẽte. Alij teſte eodẽ Seruio.non a
carminib⁹ Carmentã: ſed a carmẽta Carmina
eſſe dicta voluerũt.Hęc & carmẽtis vocatur.
Carmentis.Require in dictione Carmẽta.
Carnicula.Require in dictione Caro.
Carnis.Require Ibidem.
Caro & carnis in recto declinari põt. q̊d etiã pa
tet p gtm̃ carnis.Nam ab eo quod eſt caro: fit
gtũs ſm analogiam caronis:quod tñ nuſq̃ le-
ctum eſt. Vñ Liuius lib.xxvi. ab vrbe condita
inquit.Laurẽtibus carnis:q̃ dari debet:data nõ
fuerat.Carnis teſte Priſ.format diminutiue car
nicula.Cato vero carũcula. Varro in andabitꝫ
Sed quũ potius o homo q̃ caruncula noſtra.
Carpentũ gręcum nõ eſt(vt q̃dam putãt)voca
bulũ:ſed latinũ.nec tamẽ a carpo carpis dedu-
cit̃:vt Vgutio ſomniauit:ſed a carmẽta Euan-
dri matre dictũ eſt:ita vt carpentũ dicat̃: quaſi
carmentũ:m in p mutato.quod etiam ꝯfirmat
Oui.lib.faſtoꝝ.i.ſic dicẽs.Nã prius Auſonias
matres carpẽta vehebãt. Hęc quoq; ab Euan-
dri dicta parente reor.genus eſt vehiculi.
Carres.Require in dictione Carruca
Carræ.Require Ibidem.
Carriculum.Require Ibidem.
Carruca cũ duplicato r ſcribit̃. Marti. Aurea q̊
fundi p̃cio carruca parat̃.i.currus.Carrũ cum
duplicato r neu.ge.eſt.etſi Vgutio maſ.ge.hic
carrus declinari p̃cipiat. Hierony.in Eſdra. Et
dederũt carra Sidonijs & Tyrijs:et format di
minutiue carriculũ.Carres cũ duplicato r:po-
puli q̃dam fuerũt inſulani:teſte Thucydide li.
iij.de bello pelopon neſiaco:quorum meminit
Virg.viij.lib.ęnei. cum ait. Hinc Lelegas car-
raſq;.Carrę cum duplicato r plu.nu.tm̃: vrbs
eſt Meſopotamiæ:teſte Ptole. Caras cũ vnico
r:rex fuit Carię regionis:q̃ ex auibus prim⁹ au
guria comperit Plinius lib.vij natu.hiſto.Ca-
res:Cariæ populi ſunt:de q̃bus Mar. meminit

dicens. Aere nec in vacuo pēdentia mauſolea.
Laudibꝫ immodicis cares in aſtra ferant. & ſcri
bit̃ cū vnico r. Eſt etiā Caria vrbs litoralis Li⸗
ciæ: teſte Ptole. Caries dicit̃ vetuſtas ſiue putri⸗
lago. Auſonius. I tineas: cariēq; pati te charta
neceſſe ē. Hæ aūt oēs dictōes cū c exili ſcribēdę
(ſunt.
Carrū. Regre in dictiōe Carruca.
Charta cū ch aſpirato & t exili ſcribit̃: & pro eo
apud gręcos ponit̃: quē nos librū vocamus.
Quod etiā obſeruauit Ouid. li. iiij. triſtiū dicēs.
Nullus in hac charta verſus amare docet. Alij
chartā ꝓ omi folio ſup quo ſcribit̃ accipe con
ſueuerūt. aut ꝓ papyro: ſiue mēbrana: ſiue p⸗
gameno. Nōnulli vero ꝓ ſola papyro chartā
accipiūt: & a mēbrana diſtinguūt: quale ē: Eos
libros nō in mēbranis: ſed ĩ chartis trāſcriptos
regi tradidit. Nec a careo cares: aut carpo car⸗
pis charta deſcēdit: vt ſōniabūdus tradit Vgu
tio: ſed a χαρτης: q̊d teſte Varro. de ling. lati.
maſ. ge. apud gręcos ꝓfert̃. deriuat̃. Quo etiā
gn̄e videlicet maſ. antiq latini: teſtibꝫ Capro &
Probo charta ꝓtulere. Carta maſ. ge. cū c & t
exilibꝫ ꝓpriū fuit viri nomē ex Darij ducibꝫ: vt
ſcribit Herod. li. hiſt. iiij. Charta cū c exili & th
aſpirato: vrbs fuit inter Tyron et Beryton: te⸗
ſte Herodo. li. hiſt. vij. a q̄ auctore Seruio: Car
thago ciuitas nomē aſſūpſit. Tū qa apud grę⸗
cos Καρχηδων ſcribit̃: ita vt illud ch aſpiratū
in media ſyl. in th apud nos conuerſum fuerit:
Vñ teſte Liuio Carthago vocabulū punicū ē:
q̊d apud nos nouā ciuitatē deſignat. Alit̃ tamē
ſenſit Cice. Ait em̄ li. ij. de natu. deoꝝ. Quartꝰ
Hercules Iouis filius fuit: & Aſteries ſororꝭ la
tonę: q Carthaginē filiā genuit: a q̄ Byrſa: quā
Dido cōdidit: Carthago dicta eſt. Nec ab ago
agis Carthago deducit̃: vt Vgutio ſomniauit.
Carthea vrbs eſt in Cæa inſula: teſte Ptole.
Carthea. Require in dictione Carta
Carthago. Require ibidem.
Caſale neu. ge. & caſalis maſ. declinari p̄t: q̊ vide
licet gn̄e: ħ eſt maſculino vſus eſt Philelphus in
ꝯſolatoria dicēs apud Caſalē cognomēto ma⸗
(iorem.
Caſalis. Require in dictione Caſale.
Caſia. Require in dictione Caſius.
Caſium. Require ibidem
Caſius cū c exili & vnico ſ ſcribit̃: mons eſt in fi⸗
nibus ægyptij Iuxta Serbonidem paludē: teſte
Herodo. hiſt. ij. quē Plinius ob ꝓpinquitatē di
xit eſſe in Arabia: nō lōge a Peluſio Nili oſtio
A q̊ fit etiā Caſiꝰ adiectiuū dicēte Lucano li. x.
Lucifer a Caſia ꝓſpexit rupe. Ptolemęus autē
duos ſcribit huius noīs montes: vnū in Syria:
aliū in Meſopotamia. Caſia eadē ſcriptura fru
tex eſt: q teſte Plinio li. xij. natu. hiſt. iuxta Cin⸗
nami campos naſcit̃. Et primā vti Caſius ſylla
bam corripit. Perſius ſaty. iij. Hæc ſibi corru⸗
pto Caſiam diſſoluit oliuo. Caſium: locus eſt
in Caſiodite: teſte Ptolemęo.
Caſſandra. Regre in dictione Caſſander.
Caſſandria. Require ibidem.
Caſſander in recto & caſſandrus declinari pōt
& cū c exili & duplicato ſ ſcribitur. & ſi a Gaſ⸗
parino cum vnico ſ ſcribi p̄cipiatur: proprium
fuit viri nomē. de quo Ouidius lib. ij. de Pon⸗
to meminit: cum ait. Non tibi caſſandruſve pa
ter duruſve caphareꝰ. Caſſandra eadē ſcriptu⸗
ra fuit Priami regis filia. Caſſandria etiā cū du
plicato ſ: vrbs eſt Paraxiorum in Macedonia:
vt in coſmographia Ptolemęus oſtendit
Caſſandrus.. Require in dictione Caſſander
Caſſiepea. Require in dictione Caſſiepe.
Caſſiepe huius caſſiepes. & Caſſiepea ĩ recto de
clinari pōt: & cū c exili & duplicato ſ & i latino
ſcribit̃. Oui. li. Metamor. iiij. Caſſiepe: cepheſuſ
q; pater. Mar. Maniliꝰ lib. i. Ex ſiſi dictū Cephe
ſuſq;: & Caſſiepea vxor fuit cephei æthiopum
regis. Eſt etiā Caſſiepe ꝓmontoriū & vrbs in
Corcyra inſula: teſte Ptole. & eodē noīe portꝰ
Epiri. Caſſiepæ eadem ſcriptura cū æ diphthō
go in vltima ſyllaba plu. tm̄ nu. vrbs eſt Caſ⸗
ſiopæorum. vt idem Ptolemæus oſtendit.
Caſſis huius caſſidis fœmi. ge. eſt: teſte Priſ. qui
& maſ. gen̄. veteres protulerūt: vt Caper teſtat̃
& Probus. Comperit̃ etiam primę declin̄. hęc
Caſſida. Virgi. lib. ęneidos. xi. Aurea vati caſſi
da. & Propertius ait. Aurea cui poſtq̄ nudauit
caſſida fronte. id eſt galea. & ſcribitur cum du
plicato ſ. nec a careo cares: nec a capite. ideo qa
caput tegat: caſſis deducitur. vt ſomniabūdus
tradit Vgutio. Nam & ſibijpſi cōtradicit Vgu
tio cum ait. Caſſis huius caſſidis: facit in actō
caſſiden vel caſſida. Quo fit aut latinū om̄ino
non eſſe vocabulum. aut actm̄ gręcum caſſide
non habere. Eſt etiam caſſida vrbs Indię: teſte
Ptolemęo. Caſſis huius caſſis etiam cum gemi
nato ſ maſcu. gene. eſt: dicēte Ouid. Decidit in
caſſes pręda petita meos. hoc eſt rætia. Et for⸗
mat diminutiue neu. ge. Caſſiculum. Vñ Pom
peius ait. Caſſiculum ręticulum a caſſibus per
diminutionē dictum. Vgutio dicit: q; format
diminutiuum fœmi. ge. caſſicula.
Caſtanea cū c & t exilibus ſcribitur: nec a caſtro
caſtras deſcēdit vt Vgutio ſomniauit: ſed grę⸗
cum magꝭ eſt vocabulū: quod apud illos neu.
gene. Καστανον profertur.
Caſtitas & caſtitudo in vno ſ̄cato accipi p̄nt: vt
ſcribit Nonius Accium inducēs ita dicentē. Ibi
fas: ibi contam antiquā caſtitudinē
Caſtitudo. Require in dictione Caſtitas
Caſtor huius caſtoris cū c & t exilibus ſcribitur
& corripit in obliquis ſ̄to ſyllabā. ſicut Hecto
ris. Teſtorꝭ. Neſtorꝭ. Actorꝭ. Alcanorꝭ. Ante⸗

noris. Protenoris t Agenoris. Nicanoris. Bianoris. & cetera grȩca ꝓpe plurima. Hora. ĩ epiſtolis. Romulus & liberpater: & cum Caſtore Polux. fuit Gemellus pollucis frater. Eſt etiam Caſtor aĩal brutũ: grȩcũ ꝓculdubio vocabulũ Et ſi Seruiꝰ: Vgutio: Catholicõ a caſtris dictũ tradãt. Ideoq́ȝ latinũ eſſe Iuue. ſaty. xĳ. Imitatꝰ caſtora qui ſe: Eunucũ ipſe facit cupiẽs euadere dãno. Teſticoloꝝ adeo meditatũ intelligit inguen. Nã cũ nulla ſit dictio latina in obliq̃s oĩbus vna ſyllaba creſcens: quȩ formet acĉm ſingularẽ in a: ſequit̃ grȩcam dictionẽ om̃ino eſſe caſtora: nõ laitnam. Vnde quod grȩci Κοστο ρὰσ: latini fibros ponticos appellant.

Catáchreſis. Require in dictione Catacriſis.

Catacriſis cũ c exili vtrobiq́ȝ & t nõ aſpirato & i latino in vtraq́ȝ ſyl. ſcribit̃. & dici põt ꝯdẽnatio ſeu dĳudicatio. Catachreſis cũ c exili ĩ initio & t nõ aſpirato in ſecũda: & ch aſpirato in tertia ſyl. & e ante ſ dici põt abuſio ſeu vurſpatio.

Cataſpocus & cataſcopium declinari poteſt: & tũc c & t exilibꝫ ſcribit̃: genꝰ eſt nauiculæ.

Cathedra cum c exili. & th aſpirato ſcribit̃: in qua dictiõe Brito: Mamotrectus: Catholicõ errauerũt dicentes. Cathedra a cathecis doctrina deſcẽdit. Nã cõponit̃ ex catha ꝑpoſitõe grȩca: & hedra: q̃ eſt ſella. Et licet catha cũ c exili ſcribat̃: tñ quia cõponit̃ cũ dictiõe aſpiratũ initiũ habẽte adĳcit̃: & t exili in th aſpiratũ cõuertit̃. Simili modo methodus cũ th aſpirato ſcribit̃. Nã licet meta ꝑpoſito cũ t exili ſcribat̃: tamen quia cũ hodos coniungit̃. quod q̃dem cũ aſpiratiõe princip̃ĳ annotat̃ t exile a lr̃a detracta in th aſpiratũ cõmutat̃. Eſt aũt methodus via: cũ ſcilicet ꝓ ratione via accipit̃. Sic em̃ Corne. celſus. lib. i. de arte medicinæ apud nos interp̃tatus eſt. Vnde Virg. georgi. i. ait. Ignaroſq́ȝ viȩ mecũ miſeratus agreſtes. id eſt ratiõis. Idem libro ȩneidos xi. Si qua viã dederit fortuna Latino. ħ eſt rationẽ. Eodẽ modo cõpoſita ex epi ꝑpoſitione & dictiõe annotatũ aſpiratiõe initiũ habẽte i lr̃a colliſa p in ph cõuertit̃. vt Ephebꝰ: qui pubes interp̃tat̃. & ex epi & ebe: que eſt pubertas cõponit̃. Ephorꝰ ſupinſpector: ex epi et horo aſpicio. Ephemera diurnalis: & epi ex hemera dies. Ephippia: equoꝝ ornamẽta: ex epi & hippos equus. Siĩ quoq́ȝ modo Hypo ꝑpoſitio ſi cũ verbo aſpiratiõe in initio annotato cõiungitur o littera preſſa o in ph cõmutat̃. vt hypen ſubunio. ex hypo ſub: & hen vnum Quod tũc eſſe dicitur: cum plures dictiões ſub vno accentu proferũtur. vt enimuero: quãdoquidem: ſimulac. Similiter ſi anti ꝑpoſitio cum dictione in principio aſpirata cõmittitur i littera intercepta t exili in th aſpiratum cõuertitur. vt Anihypatus proconſul.



Catillum. Require in dictione Catinus.

Catillus. Require Ibidem.

Catina. Require in dictiõe Catinus

Catine. Ibidem. Catinũ. Ibidem

Catinus & catinũ declinari poteſt. & cum c & t exilibꝫ ſcribit̃: genus eſt vaſis. Catina eadẽ ſcriptura: vrbs eſt Siciliȩ: teſte Stra. q̃ & catine huius catines declinari poteſt. & corripit mediã ſyllabã: quã catinũ ꝓducit. Syllius li. xiiĳ. Tũ Catine nimium ardẽti vicina Typhœo. Iuue. ſaty. xi. Ponebãt igitur tuſco farrata catino. Et a catino fit diminutiue maſ. quidem genere catillus. neutro vero catillum. Macrobius in ſaturnalibus. Proprie autẽ catilones dicebãtur: qui catillos liguriebant.

Catta. Require in dictione Cattæ.

Catte cum e nõ aſpirato & duplicato t exili ſcribitur populi ſunt germaniȩ: teſtibꝫ Stra. et Ptolemȩo. Catta eadẽ ſcriptura: genꝰ eſt piſcis. de quo Mar. Pãnonicas nobis nũq̃ dedit vmbria cattas. Cattus etiam cũ geminato t ſcribitur a Tortel. & Gaſparino: & ακαύστοσ grȩce: quod latine incẽſum ſignificat dictus eſt. Nam ardẽtes: prudẽtes dicimꝰ. ſicut ecõtra ſegnes ignauos: quaſi ſine igne imprudẽtes appellamꝰ. Vnde Virg. lib. ȩneid. i. ait. Inſtant ardẽtes Tyrĳ. id eſt prudẽtes. q̊d Nomꝰ exponit feſtinantes. Catus cata catũ cũ vnico t ſcribit̃. Nã primã corripit ſyl Auſo. Doctꝰ hylas cæſtu: phegias catus arte palȩſtrȩ. i. prudẽs vel ſapiẽs.

Cattus. Require in dictione Cattȩ.

Catus. Require Ibidem.

Cauda & coda efferri põt: teſte Marcello: qui & Varronẽ refert ſcripſiſſe. Sed vt canis ſine coda

Caudex & codex: vtroq́ȝ enim modo effertur: teſte Seruio ſup. i. geor. liber & truncus vocatur: vt eſt apud Vir. Caudicibus ſectis. Lactantius firmianus. Caudice deſecto lachrimat ſua gaudia palmes. Nõnunq̃ et pro duro ſedili ponitur. Vde Iuue. ſat. ĳ. ait. Horrida q ualle facit reſidens in codice pellex.

Caueo ues ſecũda. & cauo uis tertia cõiug. declinari poteſt. Proper. Tu caue ne triſti cupias pugnare puella. Horatiꝰ ſermõe. xiiĳ. Tu caue ne minuas: tu ne maiꝰ facias. Ibidẽ. Vade: vale: caue ne titubes: mãdataq́ȝ frãgas. Vbi ve ſyllaba exñte breui: impatiui modi. caue tertiȩ cõiugatiõis eſſe neceſſe eſt. Nã a caueo ſecũdȩ cõiugatiõis: caue ue ſyllabã ꝓducit. Cauo uas in alio ſignificato primȩ cõiu. eſt. Oui. Meta. ĳ. Eſt locus in geminos vbi brachia cõcauat arcus

Cauerna. Require in dictione Cauus.

Cauo. Require in dictione Caueo.

Caupona. Require in dictiõe Caupo.

Caurus. Require in dictione Corus

Caupo & copo i recto dici poteſt. Simili modo

caupona & copona. Et rectius q̃dem copona:
q̄ caupona (vt ſcribit Feſtus) effert̃. Et (vt tradit
Priſcian⁹) caupo cõis ge. eſt: q̄q̄ habet fœmini/
nũ caupona tã ꝓ tabernaria q̄ ꝓ taberna. Ca/
pronæ iubę vel comę dicunt̃ deuexę: ꝗ̃ eſt ante
frontẽ: auctoribꝫ Marcel. & Põpe. quo capillo
rum ornatu: oculis q̃dem venuſto: ſed libidinis
indice: mulierculę in ſubres ſe decorare cõſue/
uerũt. Lucil. ſatyra. xvij. Aptati caput atq; co/
mas fluuitate capronas. hoc eſt a capite ꝓnas.

Cautes & cotes in recto: teſte Priſ. dici p̃t. & fœ.
ge. ẽ. Vir. li. ęneid. vi. Quã ſi dura ſilex: aut ſtet
Marpeſia cautes. id eſt lapis: vel petra: vł ſco/
pulus. Cotes item eſt ꝓmontoriũ Mauritanię
Tingintanæ: teſte Ptole. Cottis cũ duplicato t
apud Ptolemęũ ſcriptũ legi: & ab eodẽ vrbs ĩ/
dię ponit̃. Cos hui⁹ cotis: gen⁹ eſt lapidis: quo
ferꝝ acuit̃: dicẽte Hora. Ardẽtes acuẽs ſagittas
cote cruẽta. Cos itẽ vrbs eſt Dorica Ptolemęus
dicit. Con eſſe inſulã ĩ Myrtoo pelago. Et facit
in gtõ co: declinatõne attica. Nam actm̃ gręcũ
Κων ꝓtulit. Home. li. Iliad. ij. Cotys cũ c & t
exili & v gręco: ꝓpriũ fuit viri nomẽ. de q̃ ſępe
Plutarchus meminit. Cutis notũ eſt vocabulũ
Vñ & Boetius ait. Et tremit effœto corpe laſſa
cutis. Et cũ c & t nõ aſpiratis ſcribit̃. nã a σκύ
τοσ gręce: auctore Pompeio deſcẽdit

Cautela. Require in dictione Cautio.

Cautio: vel more antiq̃ cauitio: vt Põpe. ſcribit
cautela vocat̃: teſte Marcel. Cicero li. i. de Ora.
Neq; mihi illa cautio & timiditas in cauſis ꝓpt̃
p̃ſtantem prudẽtiam Craſſi negligẽda eſt.

Cauitio. Require in dictione Cautio.

Cauus & cauerna in vno ſignificato accipi poſ
ſunt. Horat̃. in fine ſermonis. xvi. Me ſilua: ca
uuſq;. Tutus ab inſidijs tenui ſolabit̃ eruo. Fe/
ſtus a chauos chauũ tractum tradit. Quod ſi
verũ dicit: cũ ch aſpirato ſcribẽdum eſt: cui ta/
men orthographiæ: vſus arte potẽtior aduer/
ſat̃: vt. ſ. cum c exili cauus ſcribat̃: eo maxime
ꝙ (vt alij volũt) a cauo as deriuat̃ quodꝫ bũ
cum c nõ aſpirato ab om̃ibus ſcribitur.

## C ante E

Cædo cædis format p̃teritũ cecidi: ci ſylla. ꝓdu
cta. ſupinũ cęſum cũ vnico ſ. Iuue. ſaty. iij. Ebri
us ac petulãs q nullũ forte cecidit. Luca. lib. v.
Terga fuga donec vetuerũt caſtra cęcidit. Cę
do teſte Apuleio cũ æ diphthõgo ſcribit̃: vt. ſ.
differat ab alio verbo cedo: quod in p̃terito fa
cit ceſſi cum geminato ſ. in ſupino ceſſum. Eſt
autem cædere cum æ diphthõgo verberibꝫ de/
dere. Terentius in an andria. Verberibꝫ ceſum
te in priſtinum daue dedam. Cædere: excidere.
Virgi. georgicoꝝ. i. Cęditur & tilia ante iugo.
Cædere: occidere: mactare: vł immolare. Virg.
lib. iiij. ęneid. Cędit quinas de more bidentes.



Idem in geor. Nõ aliam ob cauſam Bacco Ca
per om̃ibus aris Cędit̃. Cædere: frãgere. Vir.
geor. iij. Cęduntq; ſecuribus humida vina. Cæ
dere: cõmiſcere. Lucil. li. xxx. Lanæ op⁹ omne
perit: pallor timor omnia cędunt.

Cedo abſq; diphthongo facit in p̃terito ceſſi: vt
diximus. ĩ ſupino ceſſum cũ duplicato ſ. Eſt au
tem cedere locum dare: vt eſt apud Vir. ęneid.
v. Cede deo. Cedere: ſuccedere. Vir. ęnei. x. Ceſ
ſerit Auſonio ſi ſors victoria Turno. Cedere:
dare. Virgi. lib. ęneidos. xi. Hæc omnis regio
& celſi plaga pinea mõtis. Cędat amicitię Teu
crorum. Cedere: obſequi. Virg. ęneidos. ij. Ce
do equidem: nec ante tibi comes ire recuſo. Ce
dere: euitare. Virgi. ęneidos. v. Celeri quoq; la
pſus corpore ceſſit. Cedere: incedere. Plau. ĩ au
lularia. In hoſce abſolut⁹ cedas. Cedo pro dic
etiã abſq; æ diphthongo ſcribitur: & primam
corripit ſyllabam. Iuuena. Poſt mitior eſt: cre/
das aliam cedo ſi breue parui. Sortita eſt laterꝫ
ſpacium breuiorq; videtur.

Cęlebs. Require in dictione Cęlum

Cęleno cum c exili & vnico l & æ diphthõgo in
media ſyllaba: atrũ ſignificat ſeu tenebroſum.
Vna fuit ex harpyis. Virgi. Hos mihi prędixit
luctus nõ dira celęno.

Celęna. Require in dictione Celęnæ

Celęnæ pluralis tm̃ nume. cum c exili & vnico l
& æ diphthongo in penultima & vltima ſylla
ba: vrbs fuit Phrygię: teſte Liuio li. vi. de bel
lo Mace. de qua meminit Luca. lib. iij. cum di
xit. Lugent damnatę phœbo victore Celęne.
declinatur nõnunq̄ & ſingulari numero Celę/
na huius celęnę. Virgi. ęnei. vij. Quiq; Rhipas
Betulumq; tenẽt: atq; arua celęne. Cyllenę hu
ius cyllenes cum c exili & y gręco & duplicato
l: mons eſt in Archadia: cuius meminit Ouid.
Faſto. v. dicẽs. Hęc enixa iugo cupreſſi ferę cyl
lenes. Et Virg. lib. ęnei. viij. Cyllene cõceptum
vertice fudit.

Celer cũ vnico l maſcu. ge. celeris fœ. celere neu
tri: teſte Priſci. declinari poteſt. & hic & hęc cele
ris & hoc celere: quin etiã hic & hęc celer. Cato
de re militari. Satis celer ſis in tẽpore. Liui⁹ in
odyſſea. Vt celer haſta volans p̃rupit pectora
ferro. celer format ſuplatiuũ celerrimus & ce
leriſſimus: teſte Priſ. Virgi. lib. ęneid. x. Et qua
facta celerrima crudũ. GN. M. in Ilade. celeriſſi
mus aduolat hector. Ennius ĩ annalibus. Ex in
per terras poſtq̃ celeriſſimus rumor.

Cæles. Require in dictione Cęlum

Celonis. Require in dictione Celox.

Cęlicola.. Require in dictione Cęlum.

Celox huius celocis fœmi. (teſte Phoca) generis
& hęc celonis in vno ſcato accipi p̃nt. Et abſq;
æ diphthongo & cum vnico l ſcribitur: cum